

Theol. Polem. explicatio quoad Loc. III. et IV. System. de creatione et Angelis Thef. I. pro secundo die pugnat *B. Varenius* Com. in Gen. cap. II, 1. p. 161. et cum eo *Rabbi Elieser*, quod probare volunt ex ordine Daudico Ps. CIV, 4. verum nec haec est omni exceptione maior. Tertio die volunt quidam apud *Augustinum*, quia, ante coeli fabricationem Angelos esse conditos, ipsis improbable videtur, sed hos iam *Augustinus* Lib. II. de C. D. c. 9. ex operibus tertii diei refutavit. Ad quartum diem referendam esse putat cum aliis Theologis *Rabbi Salomon*, provocantes ad Solem, Lunam et Stellas isto die creatas, Angelos autem a Iobo Stellas vocari matutinas; At vero quia Angeli nec ad aethereum, nec ad aereum, nec ad ullum aliud externum, sed potius ad gloriosum pertinent coelum, ideo nec illa nobis approbanda sententia. Quintum diem qui creationi Angelorum destinat, est Rabbinorum aliquis, eo quod in aere dominari et habitare dicuntur, quid autem hac de sententia sit habendum, non est quod multis indigemus verbis. Ad sextum denique diem qui creationem Angelorum pertinere censent, sunt *Achatius*, Episcopus, et *Gennadius*, quam quoque sententiam *Scharpius* in cursu Theol. argumentis illustrare voluit, quia videlicet creator in producendis creaturis ab imperfectioribus ad perfectiores processerit, sed hos itidem *Augustinus* suo modo tempore ex Iob. XXXVIII, 7. refellit. Melius proinde ac tutius esse cum aliis Theologis utpote *B. Chemnitio*, *Gerhardo*, *Forstero*, *Brochmanno*, *Quenstedio*, *Magnifico Dn. D. Fechtio*, aliisque recentioribus iudicamus, τὸ ἐπέχειν hic eligere atque certi nihil definire, quam ea curiosius inuestigare, quae tamen Spiritus S. nobis reuelare noluit.

## Thef. XIV.

Materia ex qua Angeli sunt producti iuxta definitionem est τὸ nihil, dicimus enim (5.) *ex nihilo creatae*. Nulla enim certe vel dari vel nominari potest materia, ex qua Angeli sunt creati, accedit, quod Angeli sint Spiritus, Ps. CIV, 4. Ebr. I,